



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. Vtrum vera & propria Dei adoratio in sola actione
exteriori, & corporali consistat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

SECTIO II.

Virum vera, & propria Dei adoratio in sola actione exteriori, & corporali consistat.

Sensus quaest. 83.

Constat quaestionem propositam non posse intelligi de affectu adorationis: ille enim est actus elicitus à voluntate, vt ex dictis sectio. preced. satis constat, neque in hoc est aliqua controuersia inter autores. Intelligitur ergo quaestio de immediato obiecto, seu quasi materia circa quam versatur affectus adorationis: de obiecto (inquam) non cui exhibetur adoratio, sed quod est ipsamet adoratio, quam alteri volumus tribuere. Sensus ergo quaest. 83. est, an hæc adoratio, quam volumus exhibere Deo, per solos actus exteriores & corporales exerceatur & exhibeatur, atq; ita in eis consistat. In qua quaestione supponitur, posse adorationem externis actibus exhiberi, quod etiam respectu Dei, certum de fide est, contra nonnullos hæreticos qui negarunt, Deum eo quod sit spiritus, actibus corporis, esse adorandum, vt ostenditur latius 2. 2. q. 81. artic. 7. & q. 83. artic. 12. & q. 84. artic. 2. quia, cum Deus sit autor corporis, etiam corpore colendus est: & ita in Scriptura sacra innumera sunt, huius corporeæ adorationis non solum sanctorum exempla, sed etiam Dei præcepta, & ex his, quæ dicemus, hoc à fortiori constabit. De hac igitur parte non est inter Catholicos controuersia.

Prima opinio.

De interna igitur adoratione duo possunt excogitari modi dicendi extreme contrarii. Prior est, nullam esse adorationem merè internam & spirituales, sed corporalem tantum, qualis est illa, quæ fit genuflexionibus, inclinatione capitis, & alijs similibus signis. Tribuitur hæc sententia Bonauent. in 3. d. 9. artic. 2. q. 3. & 4. qui tamen obscure loquitur, nam docet quidem virtutem moralem latræ solum versari circa actus exteriores adorationis: quia latræ seruitutem significat: seruitus autem proprie respicit actum exteriorem. Addit verò subinde, latræ, vt dicit cultum diuinum, non esse tantum in actibus externis, sed maxime in internis: & in solutionibus argumentorum ait, Sicut est cultus interior, & exterior, sic est adoratio exterior, & interior. Adorare interius est tota mente in Deum tendere, sicut dicit Rabanus: adorare exterius est, aliquam reuerentiam corporaliter exhibere. Videtur ergo Bonauenturæ sententia in hoc consistere, quod adoratio in genere non consistit in solis actionibus externis, sed etiam in internis: adoratio verò prout dirigitur, seu elicitur ab speciali virtute morali, quæ est religio, vel sub religione contenta, sic solum consistit in exterioribus actionibus & eodem sensu videtur eandem sententiam sequi Almainus ibi quaest. 1. & Marfil. in 3. quaest. 8. artic. 1. præsertim ad 3. Citatur pro eadem sententia Durandus in 3. d. 9. quaest. 1. Sed ex illo potius potest sumi oppositum, vt statim dicam. Illam verò sententiam insinuat Maior eadem d. quaest. 1. dicit enim, obiectum latræ interioris esse honorem & cultum exteriorem Dei, quæ postea declarat exemplis, in solis actionibus corporalibus, quæ tamen potuit adhibere vt clariora, non quod alia excludat. Potest autem hæc sententia probari primo ex D. Thoma 2. 2. quaest. 84. in titulo quaest. 83. qui est, De exterioribus actibus latræ. Inter quos primum locum tribuit adorationi: est ergo adoratio actus exteriori iuxta sententiam Diui Thomæ. Nec potest dici, ibi sumere D. Thomam actum interiorem latræ vt distinguitur ab actu elicitio voluntatis, tum quia in quaest. 83. orationem ponit inter actus interiores religionis: constat autem in doctrina D. Thomæ orationem non esse actum elicitum à voluntate, sed ab intellectu si mentalis sit, vel ab ore, si sit vocalis. Vbi considerare licet, D. Thomam appellasse orationem actum interiorem, quia potest in intellectu

A consummari, etiam si possit aliquando exterius proferri: ergo ponens adorationem inter actus exteriores, sentit non posse interius neque in voluntate, neque in intellectu consummari, sed sola exteriori actione. Tum etiam id patet ex verbis, quæ D. Thom. statim subiungit, dicens: Et primo de adoratione, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet. Non exhibemus autem corpora nostra ad venerandum Deum, nisi per actiones externas & corporeas. Neque D. Thom. alicubi de alio genere adorationis differuit. Secundo probatur ex Damasceno orat. 1. de Imaginibus pag. 5. vbi definit adorationem, esse submissionis & honoris notam, & oratione 3. fol. 7. ait, adorationem esse, timoris, & desiderij, & honoris signum; & animi submissionis, atque humilitatis argumentum. Et in idem fere recidit, quod ait Anastasius in VII. Synodo act. 4. Adorationem esse honoris alicui exhibiti emphasim, id est, expressionem, seu significationem, quia nota aut emphasis honoris non est, nisi aliquod signum externum, per quod indicamus affectum submissionis erga alium: adoratio igitur solum est in actibus externis, quibus hoc significamus.

Tertio, quia nullus est actus interior, verbi gratia, erga Deum, qui possit esse actus adorationis, nam vel est actus intellectus, vel voluntatis. In intellectu esse non potest, quia in illo solum est actus fidei, qui habet propriam honestatem distinctam ab adoratione: & idem est de omnibus donis intellectus, qui committantur fidei, & multo magis de prudentia infusa, maxime cum illa non versetur circa Deum, sed in vniuersum dicitur de agendis ex regulis supernaturalibus. Oratio vero, quæ in intellectu esse potest, quamuis sit actus religionis, distinctus tamen est ab adoratione, licet sepe habeat adorationem concomitantem. Sicut legitur Matth. 20. Accipite ad eum mater filiorum Zebedæ adorans & petens. Aliud ergo est ad, orare, aliud petere, quod est orare. De actibus voluntatis similis inductio fieri potest, nam, si non versantur circa Deum, non possunt esse adorationes eius: si autem versantur circa Deum, erunt aut actus charitatis, aut spei, aut obedientiæ, vel alterius similis: ergo non erunt actus adorationis propriæ, vt ad religionem pertinet: alioqui confunderetur religio cum alijs virtutibus. Et confirmatur primo, nam, si in aliquo ex his actibus, posset esse propria adoratio, eadem ratione quolibet actu virtutis posset adoratio exerceri: quia quilibet actus virtutis placet Deo, & potest in eum vt in vltimum finem referri, atque adeo ad eius honorem & gloriā ordinari, iuxta illud, Omnia in gloriam Dei faciunt. Est autem ridiculum dicere elemosynam esse actum adorationis, & sic de alijs. Confirmatur secundo, quia vitium adorationis diuine oppositum, nunquam reperitur in solo actu interiori, nam, si sit in intellectu, erit hæresis, si in voluntate erit aut odium, aut desperatio, aut aliquid huiusmodi: contra adorationem verò nunquam est, nisi per ordinem ad actum exteriorem, vt est in voluntate dandi alteri, quam Deo, diuinum honorem, aut exhibendi Deo notam inferioris honoris.

E Secunda opinio esse potest, adorationem non solum sine actione externa posse reperiri, verum etiam consummari posse in solo actu purè interiori, id est, elicitio tantum à voluntate. Hanc opinionem indicat Scotus in 3. distinct. 9. quaest. 1. vbi distinguit actum latræ internum & externum: & hunc dicit esse signum illius, illum verò consistere in hoc, quod homo in corde suo extollit diuinam bonitatem tanquam summam respectu suæ bonitatis, & à qua ipse homo habet, quidquid boni habet: & hunc interiorem actum ait Scotus habere pro obiecto solum Deum, vt summum bonum, & summum Dominum: quanquam non declarat, an sit actus intellectus, an voluntatis. Nec videtur ab hac sententia alienus

alienus D. Thom. 2.2. q. 84. artic. 1. ad 1. ubi ait. ea quæ exteriorius aguntur circa Deum, esse signa interioris reuerentia. Et ex hoc ipso principio iudicandum est fundamentum huius sententia. Nam adoratio exterior, vel ficta est, vel supponit interiorem, eamque exprimit, atque significat: ergo non potest vera adoratio in solo exteriori actu consistere. Et confirmatur declarando, qualis possit esse huiusmodi actus. Nam, quando homo vult exhibere Deo signa externa submissionis, multo magis vult habere Deum superiorem & Dominum, & subesse illi: ergo hic idem actus voluntatis est maxima & perfecta Dei adoratio. Nam si quis illum habeat, quamuis nullam eius externam significationem exhibeat, in spiritu & veritate colit Deum ac reueretur.

Ut explicem veram sententiam, suppono ex 1.2. anteriorem actum interdum appellari omnem illum, qui ab alio actu priori voluntatis imperatus est, siue per exteriora membra, siue per intellectum, imò etiam si per voluntatem ipsam, exercetur, aliquando vero strictè sumi pro actu, qui per exteriora membra exercetur: vnde è contrario actus etiam interior in duplici acceptione posita sumi potest, vt per se constat. In præfenti ergo strictè loquimur de actu exteriori humano, qui per membra corporis exercetur, obiter tamen dicemus de omni actu interiori & exteriori respectu voluntatis, & respectu illius actus, qui proximè elicitur ab ea virtute voluntatis, qua Deum adoramus.

Prima
sectio.

Dico primo. In actu merè interno & spirituali potest reperiri vera & propriissima Dei adoratio, non minus, quam oratio. Hæc assertio est cõmunis Theologorum cum Magistro in 3. distinct. 9. ubi omnes distinguunt duplicem adorationem, internam & externam. Quæ distinctio duplicem potest habere sensum. Vnus est, vt ipse affectus seu voluntas adorandi vocetur adoratio interna, vt præcindit ab ipso cultu seu exercitio eius, qui comparatione illius voluntatis dicitur adoratio externa. Sed non est hæc diuisio vñtata in hoc sensu: nec nos nunc agimus de sola illa voluntate adorandi, quæ præcisè sumpta potius est propositum adorandi, quam ipsa adoratio: sicut desiderium, vel voluntas petendi non est oratio, sed propositum orandi. Alio ergo modo dicitur adoratio interna cultus, qui spirituali actione mentis perficitur, & consummatur: & ita distinguitur à cultu, qui exhibetur per corpus vel res corporeas: & hoc modo adhibent Theologi eam partitionem, & cultum externum per signa externa & sensibilia exerceri dicunt, quæ numerauit Aristoteles 1. Rhetoric. cap. 5. dicens, Honoris partes sunt sacra, memoratones, decorationes carminum, aut soluta orationis ad laudem recitatio, pramiam, delubra, primi confessus, sepulchra, publici ritus, inclinari, loco cedere, munera deferre, &c. quæ omnia possunt, seruata proportionem, ad cultum adorationis adaptari. Interiorem autem cultum dicunt Theologi exerceri actibus intellectu & voluntatis: & præsertim actibus fidei, spei & charitatis. Nam licet hi actus, vt sunt elicti à suis virtutibus habeant suas specificas & proprias honestates, tamen quatenus assumuntur, vt quidam actus accommodati ad exhibendum Deo honorem vt supremo domino, induunt rationem adorationis & cultus, & vt sic sunt actus imperati à religione, & proxima obiecta seu materia, circa quam versatur voluntas adorandi Deum. Hæc est sine dubio sententia Diui Thom. 2.2. quæstione 84. artic. 2. ubi inquit, an adoratio importet actum corporalem, & respondet ex Damasceno, duplicem esse adorationem, scilicet spirituales, quæ consistit in interiori mentis deuotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humilitione: & in solutione ad secundum in hoc comparat adorationem cum oratione, quia, sicut oratio principaliter existit in mente, secundariò autem verbis

Fr. Suarez, Tom. 1.

expressitur, ita adoratio principaliter in interiori Dei reuerentia consistit, secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis. Atque eadem proportionem dicit quæstione 85. artic. 2. sacrificium externum esse signum interioris sacrificij, quo anima seipsam offert Deo. Rursus quæst. 103. artic. 1. inquit, honorem quoad homines non deferri nisi per signa exteriora, qualia sunt illa, quæ supra ex Aristotele numerauimus: homines enim, cum non cognoscant internos actus, nisi per exteriora signa, non possunt se mutuo honorare, nisi signis externis, quia honoratio nihil aliud est, quam testificatio de excellentia alicuius: Ac vero apud Deum, qui inspecor est cordium (ait Diuus Thom.) honor ipsius potest consistere in solo interiori motu cordis, dum scilicet, aliquis recogitat Dei excellentiam, se recognoscens illam, & per hoc, quantum est ex se, illam testificans. Huiusmodi autem honor respectu Dei habet veram rationem adorationis: nam licet honor absolute dictus latius pateat, quam adoratio, vt sectio ne superiori dictum est, tamen honor, qui defertur alicui superiori, & in recognitionem excellentiæ eius, & seruientis, vel subiectionis illi debita, vera est adoratio, & de hoc honore Dei ibi agit Diuus Thomas. Denique idem Diuus Thom. in 3. distinct. 9. quæst. 1. artic. 1. quæst. 3. ait, Deum coli fide, spe, & charitate: idque duobus modis exponit. Prior est, quia dictæ virtutes ordinant ad cultum, quod clarius dixit 2. quæstione 81. artic. 5. ad 1. quia suo imperio causant actum religionis, quæ operatur quædam in ordine ad Deum: & hæc expositio non est ad rem nostram. Posterior ergo expositio est, illis virtutibus coli Deum, quia actus earum materiali- ter assumuntur in cultum Dei: & hoc est, quod asserimus: estque hæc posterior expositio cõformior Augustino, qui autor fuit illius sententiæ, Christianam religionem maxime colere Deum fide, spe, & charitate, in Enchirid. cap. 3. & 6. & 12. de Trinit. cap. 14. & 10. de Ciuit. ca. 9. Atque eodem sensu hanc doctrinam amplectuntur Albertus dist. 9. artic. 1. ad 5. Ricardus artic. 1. quæst. 3. ad 3. Paluda. quæst. 1. artic. 2. Thom. de Argent. artic. 1. Gabr. artic. 2. & in canonem lectio. 50. Alexand. Alenf. 3. part. quæstio. 30. membr. 1. art. 3. Henric. quodlib. 10. quæst. 6. V. Valde de sacramental. cap. 117. Cordub. lib. 1. q. 5. Aiala de Tradition. part. 3. confid. 7. ca. 1. Bellarm. lib. 1. de cultu Sancto. cap. 12.

Et probatur primò ex Scriptura, Psalm. 95. Et adorauit eum omnes angeli eius. Et ad Hebræos 1. Et, cum iterum introducit eum in orbem terræ, dicit, & adorant scripturæ, eum omnes angeli eius. Et Apocalyp. 7. Omnes angeli & ex angelis stabant in circuitu Throni, & ceciderunt, & adorauit. gloriam adorant. Item 2. Esdr. 9. Exercitus cultus adorauit. Et Eccle. ratione. fia in præfatione dicit, Per quem Maiestatem tuam laudant angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, celi, colorumque virtutes, ac beata Seraphim, &c. ubi alludit ad visionem Isaie cap. 6. ubi vidit Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & Seraphim stabant super illud, sex ala vni, & sex ala alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum, plena est omnis terra maiestatis gloriæ eius. Similia testimonia sunt apud Daniele cap. 3. & 7. Ex quibus conficitur argumentum, nam in angelis est vera & propria adoratio, vt ex dictis locis constat, sed adoratio non potest ab angelis exerceri per actus corporeos: ergo adoratio ex se non consistit in solo actu externo & corporali. Dicit aliquis, id verum esse, quia requirit affectum internum. Sed hoc nullius momenti est ad prædicta testimonia explicanda, hoc enim ex eis efficere contendimus, affectum internum adorandi non versari proximè circa solū actum externum, & corporale, alioz talis actus non posset propriè angelis attribui, sicut non potest eis

588 2 tribui

D. Thom.

tribui temperantia, castitas, & similes. Nisi quis fortasse dicat non esse eandem omnino rationem de adoratione, quia saltem per corpus assumptum potest angelus eam exercere, non posse angelos adorare Deum, nisi assumendo corpora. Quod & per se est improbable & incredibile, & alienum ab intentione & sensu Scripturae in citatis locis, & à sensu Ecclesiae, cum dicit, Dominationes adorare Deum in caelo. Vnde Chrysostomus hom. 1. de illis verbis Isaiae 6. Vidi Dominum, &c. annotat. in corporeas virtutes non indigere corporibus ad adorandum Deum, sed ita describi à Propheta, ut illarum adorationem posset hominibus explicare. Et Dionysius, cap. 13. de coelest. Hierarch. satis post medium eandem visionem tractans aperiebatur (inquit) illi per haec, altissimorum spirituum via multa peragrans, multaque proficiens, sacrarum illorum, ac plena horrore veneratio.

Atque hinc facile excluditur questio, si quis responderet, in illis locis esse sermonem non de adoratione propria prout est actus religionis, sed late prout omnis actio virtutis, quatenus Deo placet, & apta est in ipsum referri ut ultimum finem, est quidam Dei honor vel cultus. Nam haec responsio in primis est contra proprietatem verborum Scripturae, quae omnino retinenda est & seruanda, praesertim ubi nec necessitas, neque autoritas vlla cogit sensum proprium deferere. Quod ita in praesenti declaro, nam, cum Scriptura dicit, Et adorant eum omnes angeli Dei, quem actum virtutis circa Deum postulat ab angelis? nunquid amorem vel obedientiam. Certe, si nil aliud postulet, potius diceret, & ament eum, vel obediant illi omnes angeli eius. Cur enim sine vlla causa & fundamento dicendum est, adorationem pro amore vel obedientia posuisse? Nam, si ita licet exponere, nihil firmum & certum ex Scriptura colligi poterit. Accedit, quod si testimonia ipsa sigillatim considerentur, plane constabit esse sermonem de proprio actu religionis, qui est adoratio. Nam Psal. 96. proxime ante illa verba dicitur, Confundantur omnes, qui adorant sculpsilia, & qui gloriantur in simulacris, & subditur, Adorate eum omnes angeli eius: falsè igitur adorationi idolorum opponit veram Dei adorationem. Et hoc significauit Basil. ibi in Scholio dicens, Vbi ostendit confundendos eos, qui simulacra adorant, subostendit etiam innumerabiles esse myriades Deum nostrum adorantes: & August. in exposit. Disant (inquit) Pagani adorare Deum, angelos volunt adorare, angelos imitantur, & illum adorent, qui ab angelis adoratur. Intelligunt ergo hi Patres illa verba de propria adoratione. Sicut etiam Athanasius, Cyril. Ambrosius, quos refert Claud. de Sanctis. Repert. 9. de Euchar. cap. 3. Qui expendunt, ex illis verbis probasse Paul. ad Heb. 1. Christi diuinitatem, quia angeli precipiunt eum adorare propria & perfecta latrice adoratione. Quis ergo audebit interpretari, Adorant eum, id est, ament eum?

Praeterea in dicto loco Isaiae manifestè describuntur actus religiosae adorationis & reuerentiae, quod etiam Ecclesia in dictis verbis praefationis satis significat. Vnde Chrysostomus dicta homilia 1. Velabant (inquit) faciem suam, suam religionem & reuerentiam significantiā, quam habent erga Dominum. Velabant pedes suos, id est, inextinguibilem erga conditorem reuerentiam exhibere student, multamque anxietatem, tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, tum denique ipsa statione. Et deinde id late declarat, adhibito exemplo serui coram Domino existentis, & omnia signa reuerentiae exhibentis: & concludit, Hoc & ab illis incorporeis virtutibus fit; cum enim plurimam habeant erga conditorem reuerentiam, hanc vndeque, conantur praestare. Eandem est sententia Dionysij, in citato cap. 13. de Coelest. Hierarch.

Aliter respondere quis posset, esse quidem ibi sermonem de vero & proprio actu religionis, tamen

illum actum in angelis non esse alium, nisi laudationem Dei, quae interdum solet adoratio appellari, cum tamè in rigore adoratio propriè sumpta à laude distinguitur. Vnde in eo loco Isaiae 6. statim subiungitur, Plena erat omnis terra gloria eius. Est autem gloria, Clara cum laude notitia. Illa ergo angelorum adoratio, nihil aliud est, quam diuina laus, & ita exponunt ibi Cyrillus & Basilus. Sed haec responsio non infirmat, sed confirmat potius vim testimoniorum. Primò, quia laus diuina genus quoddam adorationis est: si per eam quis diuinam excellentiam, suamque ad illam submissionem profiteatur, vnde, etiam si corporali voce ex eodè mortuo fiat, ut fieri potest à nobis, solum materialiter differt ab illa adoratione, quae per actiones corporis exhibetur. Nā sicut mentis significatio verbis facta, vel nutibus ac gestibus, formaliter eiusdem rationis, & eiusdem veritatis vel falsitatis est, & eundem effectum habere potest, ita significatio interioris reuerentiae verbis aut actionibus facta eiusdem honestatis & virtutis est. Potest igitur saltem hoc genus adorationis esse merum internum, & spirituale: & ideo scriptura vtramque tribuit angelis, scilicet laudem & adorationem, & in vtroque seruat proprietatem. Secundo, declaratur hoc amplius, quia in laude duplex habitudo considerari potest. Vna est ad eum qui laudatur, alia est ad eos, coram quibus laudatur. Haec posterior potest quidem in angelis sicut in hominibus reperiri, iuxta illud Isaiae 6. Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, &c. ubi Hieronymus: Inuicem se ad Domini laudes cohortantur. Sed, quamuis haec posterior habitudo possibilibus sit & honesta, non est tamen simpliciter necessaria, sed ad solum Deum laus referri potest, etiam si ab alio non percipitur. Et si certam potest angelus laudare Deum mente sua, etiam si alijs non loquatur: nam haec locutio accidentalis est & extrinseca diuinae laudi: quae interius facta consistere potest in recognitione diuinæ maiestatis, eiusque consideratione & interna confessione coram ipsa: ergo in tali actu vera ratio adorationis reperitur.

Tertiò hoc declaro ex alio testimonio clarissimo, ut opinor ad propositam veritatem confirmandam, ad Philip. 2. In nomine Iesu omne genu flexatur, caelestium, terrestrium, & infernorum, &c. ubi, ex omnium sententia & expositione, genu flexere positum est pro eo, quod est reuerentiam exhibere seu adorare: & hoc ad litteram significat, quamuis vox ex parte metaphorica sit. Docet ergo Paulus, quòd, sicut in hominibus est genu flexio materialis, ita in spiritibus caelestibus & infernalibus est spiritalis genu flexio, id est, aliquis modus seu actus ad veram ac propriam adorationem exhibendam. Quocirca, sicut ex illis verbis Pauli 1. ad Corinth. 13. Singulis hominum loquar & angelorum, recte colligit Theologus, praeter locutionem humanam & materiale dari spiritali & internam; ita ex eo, quod Paulus ait esse genu flexionem in angelis & hominibus, recte & euidenter colligimus, praeter adorationem, quae signis corporis exhibetur, esse spiritali adorationem, quae internis actibus, seu nutibus, quod illi sunt, exhibetur. Imo etiam in spiritalibus videtur Paulus adorationem à laudatione, vel recognitione distinguere, nam subdit, Et omnis lingua confiteatur, &c. id est, tam angelica, quam humana, nam pro eisdem distributio fit, cum dicitur, Omnis lingua, pro quibus facta fuerat in illo verbo, Omne genu, ut omnes exponunt. Vnde Diuus Thom. ibi ait, in bonis angelis illam esse confessionem laudis, in malis vero esse coactam, quae fit per recognitionem Dei, qua, vel inuiti, credunt & contremiscunt.

Poterit tandem respondere aliquis, his argumentis recte probari, esse in angelis adorationem spiritali, non tamen inde inferri esse posse in hominibus,

bus, qui corporales sunt. Sicut etiam locutio in angelis est spiritualis, in hominibus vero non potest esse nisi corporalis. Sed hęc responsio in primis per se est probabilis, nam homo cum angelis conuenit in spiritu & mente; & suos actus exerceat interiores, intellectus & voluntatis, quamuis in genere entis minus perfectus, & ita potest eos ordinare in Deū sicut angeli, & formaliter loquendo, potest ex eadem honestate seu intentione cultus diuini interius operari; ergo, quoad hoc est eadem ratio de hominibus, quæ de angelis. Item ex eisdem testimonijs, præsertim ex loco Pauli, constat, in anima separata posse esse veram adorationem Dei: ergo idem erit in coniuncta, quia quoad hoc etiam eadem ratio intercedit, nec dependentia à phantasmatis obstat, quia, cū agimus de adoratione purè interna & spirituali hominum, non excludimus cooperationem phantasiæ, sed actiones exteriores corporis. Sicut, cum dicitur esse in homine oratio purè mentalis, non excluditur cooperatio phantasiæ, sed linguæ. Præterea, si fundamentum contrariæ sententiæ, quod in tertiaratione supra est explicatum, alicuius momenti esset, æquè procederet in angelis, nam idem dilemma, eademque enumeratio actuum intellectus & voluntatis in angelis fieri potest, quæ ibi fit in hominibus: ergo vel ratio illa idem probat de angelis, vel nihil probat in hominibus.

Tandem adiungere possumus testimonium, in quo in specie est sermo de hominibus, Ioan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Patres tales querit, qui adorent eum, Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Nam, licet ex vi horum verborum non excludatur actio corporalis, potest enim esse adoratio exterior, & nihilominus in spiritu & veritate fieri, si fiat ex vera exsistimatione de Deo, & rebus diuinis, & ex Spiritus sancti illuminatione & directione, nihilominus tamen ex illis verbis recte colligimus, ad veram Dei adorationem non esse simpliciter necessariam actionem corporis, sed posse solo spiritu perfici. Primum ex Chrifiratione, *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*; illa enim ratio non solum probat ad Deum adorandum esse necessarium spiritum, sed etiam sufficere, si de sit corpus, vel actio corporis, nam Deus est solus spiritus: ergo in solo spiritu potest adorari: quāuis etiam possit adorari corpore moto & gubernato ab spiritu. Et quidem mirabile est posse spiritum subiacere corpus suum ad Deum adorandum, & non posse seipsum subiacere & submittere ad eundem Deum adorandum, cum sit purissimus spiritus. Atque hinc probari secundo hoc potest ex ipsis verbis Christi, quod adoratio Dei esse debet in spiritu & veritate; quia tam veritas, quam actio spiritus, potest esse in solo spiritu: ergo in eo esse potest adoratio in spiritu & veritate. Tertio tandem ex communi Sanctorum expositione: dicunt enim Deum adorari in spiritu & veritate, quando virtutum actibus, præsertim fidei, spei, & charitatis, colitur, vt patet ex Chrysost. & Cyrillo super Ioannem, Hilario 2. de Trinit. Ambrosio lib. 3. de Spirit. sanct. cap. 12. Athanas. q. 59. ad Antiochum. Nec dicere possumus, hos patres loqui improprie aut large de adoratione, & non prout significat speciale munus religionis, nisi velimus fateri, eos recessisse à proprio & literalis sensu verborum Christi, quæ de propria adoratione necessario intelligenda sunt. Nam Samaritana de illa mouerat quæstionem, nam illam exercebant Indæi in monte Sion, Samaritani vero in monte Garizim. Est ergo hęc veritas, vt exillimo, valde conformis Scripturis sacris.

Atque hinc etiam constat sumptam esse veritatē hanc ex communi Patrum doctrina, præsertim Augustini, cuius egregia sunt illa verba, li. 10. de Ciuit. cap. 4. *Ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis in* Fr. Suarez, Tom. 1.

ara cordis igne seruida charitatis. His addo Damascenum lib. 4. de fide, cap. 13. dicentem *Quia ex visibili simul & invisibili natura constamus, duplici quoque proinde adorationis genere illum verum omnium parentem & architectum afficimus, quemadmodum videlicet, & mente & corporis labijs psallimus. &c.* Ergo, ex sententia Damasceni, non tantum solo corpore, sed etiā solo spiritu, possumus Deū adorare. Nec potest exponi de adoratione impropria, aut largè sumpta; constat enim ex titulo & intentione capitis, de propria adoratione esse sermonem. Neque etiam posset aliter spirituales adorationē à corporali distinguere, nisi per spirituales intelligendo eā, quæ in solo spiritu consummatur, cum nulla sit vera adoratio, quæ solo corpore constare possit. Vnde expresse illam partitionem comparat cum diuisione orationis in mentalem & vocalem. Atque hinc Clichtonius ibi, corporalem adorationem dicit esse illam, quæ fit genuflexione, manuum ad celum protensione, &c. Spirituales autem, quæ fit animi affectu, & ad Deum erectione, subleuatione atque deuotione. Et hanc dicit docuisse Christum Samaritanam, Ioan. 4.

Vltimo adiungere possumus rationes. Prima & à priori fit, quia, sicut virtus religionis, existens in voluntate, vtitur membris corporis per aliquem motum eorum ad adorandum Deum, ita potest vti ipsis facultatibus animæ, medijs aliquibus actibus earum ad idem munus adorandi Deum: ergo affectus adorationis potest immediatè cadere in aliquem actum animæ, sicut in actum corporis, tanquam in proximam materiam & obiectum suum: ergo potest vera ratio adorationis reperiri in actu animæ, sicut in actu corporis. Maior sic ostenditur, nam in primis certum est, virtutem vnā posse imperare actus aliarum virtutum etiam Theologicarum in ordine ad suum finem seu motiū, quando illi sunt proportionati & accommodati: sic penitentia medio affectu satisfaciendi Deo mouet charitatē ad amandum ipsum, & propter ipsum dilectum, detestandū peccatum, quia hic actus est illi fini, & motui proportionatus: sic etiam religio castitatem offert in cultum Dei, dum vouet illam, quia est medium accommodatum, vt totus homo possit diuino cultui dicari. Ex hoc ergo capite non repugnabit, religionē vt actus alterius virtutis ad colendum Deum, ex eo scilicet, quod sint virtutes distinctæ specie, quia, licet hoc obstat, vt actus vnus possit ab alia elici, non tamen vt possit imperari, & consequenter possit actus vnus esse materia circa quā actus alterius versatur. Sic ergo affectus adorationis, qui est actus à religione elicitus, versari poterit circa actum fidei, vel caritatis, aut similes, non sub proprijs rationibus illarum virtutum, sed solum vt sunt materia, & quasi instrumenta apta ad colendum Deum. Et confirmatur, nam voluntas potest motum pedis vel manus ad hunc finem ordinare; ergo etiam motus intellectus vel voluntatis. Nam, quod in actu corporis per se sumpto, non fit aliqua ratio virtutis, in actu autem intellectus vel voluntatis fit aliqua ratio virtutis intellectualis, vel affectiue, Theologalis, vel moralis, non impedit, imò iuuare potest ad illum finem, vt iam dicam.

Solum superest probandū, in actu interiori posse esse sufficientem proportionem ad eum finem: hoc autem facile demonstratur in hunc modum; Nam actus exterior induit rationem adorationis, quatenus est nota vel signum submissionis, & honoris, vt Damascenus dixit: non est autem nota seu signum naturaliter significans, sed ex impositione, vt per se notum est: inde enim fit, vt actiones externæ ex se sint indifferentes quoad cultum, & interdum Deo, interdum vero hominibus accommodentur: & quædam nationes his vtantur, aliæ vero aliis: est ergo talis significatio ex impositione; quæ impositio aliquando fit auctoritate publica, si communis & publi-

ca sit nota honoris, aliquando propria voluntate, & intentione operantis, ut, quando unusquisque suis actionibus priuatim utitur, prout vult, ad Deum adorandum. Solum praerigitur ex parte actionis proportionio aliqua, ut ad talem significationem accommodata sit: quod commune est omnibus signis ad placitum, quae prudenti aliqua ratione imponuntur, quod etiam de vocibus docent Dialectici in libris de interpretatione, sed est maxime verum de his signis, quae in actione consistunt, ut de sacramentis docent Theologi. Hae autem omnia melius & perfectius reperiri possunt in actu interiori, quam in exteriori: nam in primis, cum Deus sit supremus spiritus & intueatur corda, non oportet, ut nota vel signum submissionis sensibile sit. Praeterea, cum hoc signum non ad id referatur, ut animus operantis in alterius notitiam deueniat, quia nec Deus tali signo indiget ad cognitionem, neque etiam ipse operans; aliorum vero notitia, neque est necessaria, nec per se intenta ex vi adorationis. Sed ordinatur ad exercendum aliqualem opere ipsam subiectionem & submissionem, quae in effectu habetur, & ad ipsum affectum magis excitandum. Potest ergo hoc fieri spirituali actu sensu signo, sicut corporali. Rursus, cum haec impositio, seu accommodatio, non semper sit publica, sed vniuscuiusque voluntate possit fieri, ex hac parte non repugnat etiam spirituali actui. Praeterea, cum homo non solum corpus, sed etiam spiritum Deo submittere debeat, sicut illud facit corporali nota, ita hoc poterit spirituali perficere. Denique proportio illa quasi fundamentalis, quae in signo ad placitum praesupponi debet, multo maior certe reperitur in actu spirituali ad significandam submissionem spiritus, quam in qualibet genuflexione, vel etiam prostratione corporis ad illud submitendum. Probat, nam per actum fidei, verbi gratia, captiuat homo intellectum in obsequium Dei: est ergo talis actus ex se valde proportionatus, ut sit nota animi submissio ad Deum. Simile est de actu amoris, quia illo non quomodocunque diligimus Deum, sed ut supremum principium, & ultimum finem nostrum, cui nos totos dicamus & consecramus. Propter quod dixit de tali actu Augustinus, lib. 10. de Ciuit. cap. 4. *Hic est Dei cultus & vera religio, hac tantum Deo debita seruitus.* Est ergo in his & similibus actibus maxima proportio, ut possint assumi tanquam notae spiritualis submissionis & subiectionis ad Deum: ergo potest in eis vera ratio adorationis reperiri.

Secundo à simili possumus argumentum sumere ab oratione, nam, si potest esse oratio pure mentalis, cur non poterit etiam esse adoratio? Sicut enim mente possumus affectum nostrum, seu desiderium Deo manifestare, ad eum loquendo, ita etiam possumus ipsi manifestare affectum nos ipsos ei subiiciendi, nam hunc affectum possumus verbis & actionibus corporis exprimere & manifestare Deo: ergo etiam possumus verbis mentis. Sed illa manifestatio facta per signa corporea, siue illa sint verba, siue actiones, habet rationem adorationis: ergo etiam facta per verba mentalia. Et confirmatur, nam ipsa met oratio potest ex affectu adorationis oriri, & veram rationem adorationis habere. Oratio enim & adoratio plane differunt secundum rationes formales, & interdum etiam re ipsa: est enim aliqua adoratio, quae non est petitio, ut genuflexio, & aliqua petitio intelligi potest, quae non sit adoratio, ut inter homines constat. Interdum vero eadem actio potest esse & oratio, & adoratio. Oratio quidem, in quantum est petitio alicuius rei, quam à Deo obtinere desideramus. Adoratio vero, in quantum ipsammet petitionem assumimus, ut notā submissionis, & reuerentiae ad Deum. Vnde, si oratio praecise consideretur, quatenus procedit ex affectu obtinendi rem postulata, ut sic non est actus religionis, sed

erit, vel virtus spei, vel alterius, ad quam pertinere potest affectus illius boni, quod postulat, ut, si quis castitatem postulet ex affectu illius, nullum aliud motuum respiciens. Imo interdum nullius erit virtutis actus, sed potius vitij, ut si quis ex aliquo inordinato affectu à Deo petat aliquid indecorum & inhonestum. Ut ergo oratio ad religionem pertineat, oportet ut honesta sit, & in honorem Dei fiat, seu ad exhibendam Deo reuerentiam, ut expresse docuit D. Thom. 2. 2. q. 83. artic. 3. exhibere autem reuerentiam, & adorare, idem sunt: ergo oratio, ut est actus religionis, est adoratio quaedam seu honoratio Dei ut supremi, & omnipotentis Domini, ut etiam Caietanus in illo articulo notauit, quod saltem concludit, orationem, ut ad religionem pertinet, includere rationem cultus, & honoris Dei. Hinc vero ulterius efficitur, etiam posse assumi ut notā submissionis, & adorationis, etiam si strictissime sumatur, quia in eo maxime se ostendit homo inferiorem & subiectum. Vnde Caietanus supra recte considerat, per mentis petitionem subiicere nos id, quod est nobilissimum in nobis ad honorandum Deum. Et sic orando (inquit) offerimus & sacrificamus mentem Deo, sicut genuflexendo, genua offerimus & sacrificamus Deo, ipsis ad Dei honorem utendo. Quam doctrinam sumpsit ex D. Tho. ibidem praeterea solut. ad tertium, ut idem Caietan. notat. Et eadem significat Durand. in 3. distinct. 9. q. 1. num. 7. ubi ait, actum laetiae procedere ex electione, qua quis eligit exhibere Deo aliquem cultum, siue exhibendo Deo sacrificia, siue genuflexiones, siue orationes vocales, siue mentales.

Tertio à posteriori seu ab incommotis duo enim ex illa sententia sequuntur, quae mihi maxima esse videntur. Vnum est, non posse hominem adorare Deum, si omnino non possit membra corporis exteriora mouere. Quod est contra praxim omnium spiritualium virorum, & contra rationem, eorum enim spiritualis animus ita dependebat à corpore in perfectissimo actu virtutis? Neque enim satis est dicere, posse hominem tunc habere affectum adorationis: quia desiderare adorationem non est adorare, nisi re ipsa exhibeatur. Secundum inconueniens est, quia sequitur, inter angelos non posse esse virtutem obsequantiae, neque mutuum honorem, quod plane est incredibile, quia suam constituunt rempublicam, & ciuilem societatem: & ideo conueniens ordo postulat, ut mutuum honorem possint inuicem deferre; & vniuscuiusque dignitate & gradum recognoscere. Sequela probatur, quia si non est adoratio mere spiritualis respectu supremi principis, neque etiam respectu inferiorum principum, neque etiam honoratio respectu aequalium: nam eadem est ratio in his omnibus, cum omnia fiant exhibendo notam honoris proportionati excellentiae eius, cui exhibetur.

Atque ex his fere declaratum est, quisnam possit esse hic actus adorationis, qui corpore non exercetur, explicuimus enim consistere in actu fidei, spei, charitatis, & orationis, quatenus hic actus sumi possunt ut notae submissionis & honoris. Sed aliquid aliud addendum superest, quia per hoc actus solos non satis hae spiritualis adoratio explicatur. Primo quidem, quia in puris naturalibus esset religio & adoratio Dei, non solum corpore, sed etiam mente pura, tam in angelis, quam in hominibus, vel animabus separatis, & de facto ita exercetur ab animabus habentibus in lybo existentibus, quae nec fidem habent, nec spem, nec charitatem, neque aliquid fortasse à Deo petunt. Deinde, Beati non habent fidem, & tamen intellectu adorare possunt Deum: & licet nunquam petant, tamen post diem iudicii oratio cessabit, non autem adoratio. Rursus non sperant, & licet ament, amore tamen necessario, qui propterea non potest ex affectu adorationis proficisci, igitur, praeter dictos actus,

actus, necesse est adiungere alios, quibus possit hæc interna adoratio exerceri. Itaque in intellectu proprius & accommodatissimus actus ad hanc adorationem esse videtur recognitio & recogitatio diuine excellentiæ & submissionis creaturæ ad Deum: nam, dum homo, ex affectu honorandi Deum, & submittendi se illi, hoc secum recogitat, eum actum assumit ut notam sui submissi animi ad Deum; & ita illo actu ipsum adoratur: & hic actus locum habet, siue illa recogitatio fiat per fidem, siue per naturalem cognitionem veri Dei, siue per aliquam cognitionem euidentem infusam, ut in anima Christi, & Beatis extra beatificam visionem, nam illa, eo quod libera non sit, non videtur ad hoc munus accommodata. Atque in hoc actu constituere videtur interiorer reuerentiam Henr. & Palud locis citatis, dum aiunt reuereri aliquem esse, bonum eius magnū reputare.

Rursus in voluntate, præter actum amoris liberum (quietiam in Beatis esse potest præter necessarium, ut est probabilior opinio) potest intelligi alius actus ad adorandum aptissimus, qui à Theologis timor reuerentialis appellatur, & de illo frequentius intelligunt illud Psalm. 118. *Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi.* De quo etiam intelligi potest illud Iob. 26. *Columna calis contremiscunt, & pavent ad murum eius, vnde Ecclesia assumptit illud, Tremunt potestates.* De quo timore quid sit diximus superius q. 7. & ex ibi dictis constat esse aptissimum ut assumatur tanquam nota animi submissi ad Deum. Vnde frequenter Scholastici dicunt, se timere Deum esse, ipsum reuereri, ut patet ex Diuo Thoma 1. 2. quæst. 67. art. 4. ad 2. & 2. 2. quæst. 19. art. 11. & quæst. 81. art. 2. ad primum, & quæst. 131. art. 2. ad primum, & in 3. d. 34. quæstione 1. art. 3. ubi Magister & alij Theologi idem sentiunt, & Alen. 3. p. quæst. 5. memb. 2. art. 1. §. 3. & quæst. 66. memb. Alisiod. 3. p. sum. tract. 8. cap. de timore filiali q. 3. & sumitur ex Augustino tractat. 55. in Ioan. & tractat. 9. in 1. Canoniam Ioan. & ex Greg. 17. Moral. c. 15. & ex alijs Patribus supra q. 7. citatis.

Præter hos actus potest intelligi alius in voluntate, quo homo vult subesse Deo, & complacere, in hoc quod est esse subiectum Deo, & habere ipsum ut supremum dominum. Qui actus, secundum diuersa modicia, potest ad diuersas virtutes pertinere: nam, si respiciat illam subiectionem in ordine ad reddendum Deo obedientiæ debitum, erit actus obedientiæ, si vero respiciat illam subiectionem ut conuenientem suo statui & conditioni seu humilitati, sic erit actus humilitatis, quæ moderatur affectum excellentiæ, & continet hominem ut in gradu suo sistat, & excellentiorem & maiorem non appetat inordinatè. Si vero tendat in illam subiectionem, ut se totum consecreret diuino obsequio & cultui, sic est actus elicitus à religione: hic est enim proprius actus deuotionis, ut D. Thom. docet 2. 2. quæst. 82. artic. 1. & 2. ubi ait, deuotionem esse specialem actum voluntatis, quo homo se Deo deuouet, ut ei se totaliter subdat, & tradat ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum, quod ad religionem pertinet. Si vero sistat in pura simplici complacentia seruitutis & subiectionis ad Deum, est etiam actus religionis, qui ad deuotionem reducit. Cum enim homo verè sit seruus Dei, dum hoc secum recogitat & recognoscit, potest in hoc complacere & gaudere. Atque hic actus videtur esse proprius actus latræ maximè internæ, & posteriori modo conceptus, videtur quasi affectus simplex seruitutis ad Deum: priori autem modo est voluntas efficax exercendi opera illius seruitutis, seu exhibendi sese ut Dei seruum: vnde ex se & prout directè tendit in tale obiectum, non tam est adoratio, quam affectus adorationis, vel virtualis, vel formalis, vel in speciali, vel saltem sub generali ratione diuini famularus, qui adorationem etiam comprehendit: si vero consideretur ille actus vo-

luntatis, quatenus ipsemet voluntariè exercetur, & hac ratione in se ipsum reflectitur (siue hæc reflexio per eundem siue per diuersum actum fiat, nil enim nunc refert) sic ille actus, quatenus sic volutus est, potest veram rationem adorationis habere, nam potest quis velle, eum actum exercere, ut per illum se submittat, & exhibeat quādam notam & significationem suæ submissionis ad Deum: atq; adeo ut per ipsummet actum Deum honoret ac reueretur. Atque hoc modo dixit D. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 2. spiritualement adorationem consistere in interiori mentis deuotione, quia hæc adoratio est maximè interna & spiritualis, & ab illa omnis alia vera adoratio proficiscitur.

Vltimò ex dictis intelligitur, quid de opinionibus in principio recitatis sentiendū sit. Prior enim opinio falsa est, & contra communem Theologorum, paucis exceptis, qui obscure satis locuti sunt. Posterior autem sententia potest habere veritatem, si rectè explicetur. Modus enim ille explicandi ex Scoto ibi relatus ambiguus esse potest, nam, si intelligat, interiorer actum latræ esse actum ut voluntatis elicitem à religione, & habere pro obiecto solum Deum ut summū bonum, non est vera sententia, quia virtus religionis per actum à se elicitem nō attingit immediatè Deum in se, alioqui esset Theologalis virtus, sed versatur circa cultum Dei: & ita semper respicit ut proximam materiā aliquid creatum, quamuis in ordine ad Deum, ut notauit D. Th. 2. 2. quæst. 81. a. 5. Vnde actus ille, quem ponit Scotus, quo homo in corde suo extollit diuinam bonitatem ut summam, & intelligi potest fieri per iudicium, vel æstimationem intellectus, & sic est elicitus à fide, vel alio habitu intellectus, aut potest intelligi fieri per affectum, seu appreciationem voluntatis, & sic pertinet ad charitatem elicitiuè, quia nihil aliud est, quam velle bonitatem Dei ut summè amabilem propter se, vel ut vltimum finem, & primum principium omnium. Vel potest etiā pertinere, ad spem, si bonum illud homo sibi concupiscat præ omnibus bonis, & omnibus his modis non potest ille actus elicari à religione, sed ad summum imperari. Quod si talis actus non sumitur ut attingit immediatè & directè excellentem Dei bonitatem, quam homo iudicio vel affectu extollit, sed ut ulterius procedit ad subiectionem hominis respectu Dei, iam ille actus non habet pro obiecto solum Deum ut Scotus dicit, sed aliquid etiam creatum in ordine ad excellentiam Dei. Si vero non intelligat Scotus hunc actum interioris adorationis, quo homo in corde suo extollit Deum, esse elicitem à religione, sed imperatum, sic verum est, adorationem internam posse in tali actu consistere, quamuis non in solo illo; quia ille actus, quo homo extollit Deum in suo corde, siue iudicio, siue affectu, potest commodissimè exerceri ut nota submissionis & reuerentiæ debita Deo, quamuis præter illam possint esse alij, ut à nobis explicatum est. Neque est inconueniens, ut religio per actum à se imperatum immediatè attingat Deum, quia inde non fit, quod sit virtus Theologica, quia per actum à se elicitem non attingit Deum, sed per actum alium quem imperat, & hic est qui immediatè attingit Deum. Sic enim etiam penitentia imperare potest actum, qui immediatè feratur in Deum, scilicet amorem super omnia: & ipsa religio, quæ est in voluntate, imperat orationem seu petitionem intellectus, quæ potest immediatè cadere in Deum, nō solum quia à Deo petimus; id enim non satis esset; sed etiam quia possumus à Deo petere ipsum Deum, qui est merces nostra magna nimis, quā speramus.

Reliqua quæ in illa opinione dicuntur, nobis non sunt contraria, sed nostram potius sententiam confirmant. Solum aduerto, ad orationem exteriorer seu corporalem semper quidem supponere intentionem verè adorandi, nō tamen semper suppo-

nere propriam adorationem interiorem, nisi forte A materialiter (ut sic dicam) non tamen semper formaliter: supponitur enim aestimationem excellentiae & affectum honorandi alium iuxta qualitatem seu dignitatem eius, alias non erit adoratio sed fictio, vel potius inhonoratio: & hoc saltem modo adoratio exterior est signum interioris reuerentiae, quia est signum huius aestimationis & affectus. Non est tamen necesse, ut adoratio exterior semper supponat formalem intentionem interius adorandi, quia ille affectus potest immediate cadere in actum exteriorem, & tunc aestimatio excellentiae, quae supponitur ad illum affectum, ut sic non habet rationem adorationis, cum non procedat ex intentione adorandi, sed ad illam potius supponatur. Veruntamen, quia de se apta est ut ad interius adorandum possit referri & ordinari, ideo quasi in actu exercito seu materialiter dici potest adoratio. Atque hoc modo semper adoratio exterior est signum interioris, vel formalis si ad illam etiam feratur intentio adorantis, vel saltem materialis, ut declaratum est.

Ad fundamenta prioris sententiae, quod ad Diuum Thom. attinet, satis ostensum est, illum non in solis exterioribus actibus, sed maxime in interioribus, veram adorationem constituere. Neque in illo titulo quaestionis 84. 2. 2. oppositum insinuat, ut in artic. 2. eiusdem quaestionis veram sententiam doceat. Solum ergo colligitur ex illo titulo, esse aliquam adorationem exteriorem, quae per actus corporis exerceatur, de qua specialiter tractare voluit D. Tho. in illa quaestione. Vnde, quod statim proponit agere de adoratione, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet, non est ita intelligendum, ac si per illa verba adorationem adaequatè describeret, sed ita, ut illa verba contineant differentiam contrahentem adorationem ad solam corporalem, de qua ibi peculiariter agere volebat. Vnde in virtute potius ibi significat, quandam esse adorationem, per quam aliquis exhibet suum spiritum ad honorandum Deum, & aliam per quam exhibet corpus suum. Falsum autem est, D. Tho. nunquam de priori adoratione differuisse, nam q. 81. art. 8. & q. 82. art. 1. & 2. & q. 84. art. 2. satis illam docuit, & declarauit.

Ad secundum concedimus, adorationem esse submissionis & honoris notam, negamus tamē esse necessarium ut illa sit nota sensibilis & externa. Neque hoc Damascenus vnquam dixit, ostendimus autem, etiam posse esse actus interiores & mentales, quibus nostri animi submissionem ad Deum significemus.

Vnde ad tertium negamus assumptum, scilicet, nullum esse interiorem actum, qui rationem adorationis induere possit. Et ad inductionem ibi factam satis responsum est, declarando, quomodo per actus intellectus & voluntatis, imperatos, vel elicitos à religione, possit interior adoratio exerceri.

Vnde ad primam confirmationem in primis posset in rigore negari sequela: quamuis enim dicam⁹, per aliquos actus internos virtutum posse adorari Deum, non inde consequitur ex vi illationis omnes actus virtutum posse ad Deum adorandum imperari, quidam enim possunt esse magis proportionati, & accommodati ad illum finem, quā alij. Sicut, licet adoretur Deus per actus externos, non ideo per omnes adorari potest, nam in aliquo est proportio ad eam significationem, & non in alio, ut verbi gratia, genuflexio est accommodata ad significandam submissionem & humilitatem, deambulatio verò non item. Sic ergo in intellectu fides, verbi gratia, est proportionata ad significandam submissionem animi, & tamen prudentia, vel ars non habet illam proportionem: & in voluntate similiter amor vltimi finis, quia respicit illū ut summum bonum ut supremum respectu amantis, potest esse accommodata

nota submissionis: amor vero proximi, ut illum respicit, non potest esse nota submissionis, quia tendit in illum ut aequalem.

Vnde dicitur secundo omnem actum virtutis tam internum quam externum, in quo fuerit proportio aliqua ad significandam animi submissionem, posse esse obiectum & materiam, circa quam proximè versetur interior affectus adorationis, siue in tali actu sit alia honestas ad aliam virtutem spectans, siue non: quia, ut probauimus, concomitantia (ut sic dicam) alterius honestatis non potest impedire quo minus actus sumatur ut nota honoris, si aliunde proportionem habeat. Quod in actibus etiam exterioribus cernere licet: nam, verbi gratia, proprii corporis castigatio, ex se habet honestatem penitentiae & nihilominus rationem adorationis induere potest, si efficiatur ad subiiciendum Deo corpus proprium in eius venerationem: & è contrario genuflexio, quae est nota adorationis, potest esse actus penitentiae, propter penalitatem quam habet adiunctam. Et similiter cunctis pectoris, quam omnes ponunt ut notam adorationis, esse etiam potest penitentiae signum, vel etiam humilitatis, si eo animo fiat. Quod ergo in exterioribus actibus experimur, potest faciliè in actu interiori intelligi, nam idem actus, qui ex se seu ex obiecto suo est actus fidei, verbi gratia, potest habere proportionem ut exhibeatur tanquam nota submissionis, seruitutis, vel humilitatis.

Vnde hinc potius sumi potest confirmatio doctrinae traditae, quia non repugnat, actum vnus virtutis habere proportionem vel utilitatem, ut possit alteri virtuti deferuire, & ea ratione ab ipsa imperari, & esse materiam, circa quam ipsa versetur: sed non repugnat dari actum interiorem, proportionatum ut sit nota humilitatis respectu Dei: quis enim neget posse humilitatē interius exerceri, non solum quantum ad affectum, sed etiam quantum ad vsum, & actuale exercitium humilitatis: ergo neque repugnat dari actum interiorem habentem sufficientem proportionem ut sit nota adorationis. Omne enim signum humilitatis respectu Dei, potest etiam esse signum adorationis, si ex proprio & accommodato motu exhibeatur iuxta dicta sect. praecedente.

Quaeret autem aliquis, an in omnibus virtutum actibus, tam internis, quam externis, reperitur haec aptitudo seu proportio, ut possint assumi, tanquam nota diuinae adorationis. Quidam enim simpliciter affirmant. Imò videtur esse sententia Diui Thomae in 3. distinctione 9. quaestione prima, articulo primo, quaestione secunda, ubi ait, quod licet latius in se sit specialis virtus, quia habet specialem rationem obiecti & actus, scilicet, ut exhibeat aliquid Deo in recognitionem seruitutis, potest tamen dici generalis, quantum ad hoc quod virtutibus aliis virtutum materialiter sub praedicta ratione proprii obiecti. Vbi, cum indifferenter hoc tribuat aliis virtutibus, videtur sentire, hoc esse commune omnibus. Quod amplius videtur colligi ex solutione ad tertium, ubi ait, actus aliarum virtutum secundum quod in gloriam Dei sunt, sic materialiter assumi à latría. Et eandem serè doctrinam habet 2. quaest. 108. art. 4. ad primum & secundum, & in artic. 1. ad primum, ita explicat illud Iacobi 1. Religio munda & immaculata, visitare pupillos, &c. Ex quibus verbis colligi etiam potest ratio huius sententiae, nam omnis actus virtutis, hoc ipso quod honestus est, potest cedere in Dei honorem ac gloriam: sed religio respicit Deum ut supremè honorabilem: ergo potest sub hac ratione versari circa quemlibet actum virtutis imperando illum.

Est ergo haec sententia satis probabilis. Erit autem verisimilior si in hunc modum explicetur. Aliud est enim loqui de cultu Dei in communi: aliud de proprio cultu adorationis. Cultus enim Dei priori

priori modo sumptus comprehendit omnem actum honorandi Deum, siue in voto, siue in iuramento, siue in oratione, &c. adoratio verò Dei specialiter dicitur cultum seruitutis seu submissionis debita ac proportionate diuinæ excellentiæ. Loquendo igitur de cultu priori modo, est verum posse religionem referre in Dei honorem & gloriam quemlibet actum virtutis, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*. In qua relatione non considerantur virtutum opera solum vt Deo placent; sic enim illa relatio potius pertinet ad charitatē, vel obedientiam: sed considerantur vt in honorem Dei eedunt, & sic ea referre ad religionem spectat. Neque ad hoc oportet spectare aliam proportionem præter honestatem, secundum quam sunt specialiter modo participationes diuinæ voluntatis, eiusque bonitatis, quam prædicant & declarant proprio quodam, & singulari modo, & ideo sunt in illum specialiter referibilia, & ab Augustino interdum vocantur sacrificia, libro decimo, de Ciuitate capite sexto. Et confirmatur, nam propter hanc causam quilibet actus virtutis, qui meliorem non impedit, potest per votum Deo offerri, cum tamen votum sit actus religionis. Neque enim satis est si quis respondeat, per votum fieri actum materiam religionis, quia hoc debetur Deo, & ad religionem pertinet persolvere Deo debita; Nam in voto non solum ad religionem spectat, implere actum iam promissum, sed etiam ipsum promittere est actus religionis: ante promissionem autem non erat opus debiti: ergo ante tale debitum est in ipso opere aliqua proportio vt possit esse materia actus religionis: ergo, sicut est talis materia respectu actus promissionis, ita esse potest respectu imperij seu voluntariæ relationis in honorem & cultum Dei, & hæc sine dubio est sententia D. Thom. citatis locis, & in hac etiam generali significatione solet interdum sumi adorationis nomen.

At verò, si loquamur strictius de adoratione pro significatione seruitutis ad Deum, sic non videtur quilibet actus virtutis ita aptus seu proportionatus ad adorandum Deum, quod non solum est verum de actibus internis, sed etiam de externis: quia huiusmodi adoratio, vt diximus, fit per actum externum seu imperatum, tanquam per signum ad placitum: de cuius ratione est, vt proportionem habeat cum significatione ad quam imponitur: hæc autem proportio ad hanc submissionem & submissionem significandam non reperitur in quolibet actu exteriori, etiam si alias honestus sit, vt per se notum videtur in solutione debiti, in actu eutrapeliæ, & similibus. Atque hinc fit, vt interdum actus, qui per se non spectat ad aliam virtutem, a prior sit ad Deum adorandum, quam actus alterius virtutis, vt prosternere se, deosculari terram, apertius est ad Deum adorandum, quam temperate comedere, & sic de aliis. Imo addit. Diuus Thomas in tertio, vbi supra, hos actus, qui non sunt propriè alicuius virtutis elicitiuè, esse maximè proprios actus lætitiæ, & in 2. 2. questione 81. articulo primo, ad primum, hos vocat actus elicitos, *sicut sunt* (inquit) *sacrificare, adorare, &c.* quod intelligendum est moraliter & respectu habitus virtutis, nam physice, & respectu potentiarum, etiam isti actus sunt imperati à voluntate: non enim elicit voluntas genuflexionem, sed imperat, seu mouet proximam facultatem. Vnde nec religio, quæ est dispositio voluntatis, potest illum actum physice elicere, sed imperare. Proxime ergo elicit affectum adorationis, & mediante illo, imperat actum alterius potentie, per quam fit adoratio. Quod si interdum adoratio fiat per alium actum ipsius voluntatis, sub ea ratione imperatus est, licet aliqui sit elicitus à voluntate. Quando verò talis actus, etiam si sit alterius potentie, ex se non pertinet ad aliam virtutem,

tem, dicitur elicitus à religione, quia immediatè oritur ex affectu eius, nulla alia virtute interueniente. Quomodo etiam oratio, quæ est in intellectu, dici solet elicità religione. Et eodem modo dicit Diuus Thomas citato loco, sacrificium esse actum elicitum à religione, & idem dicit de adoratione. Vbi videtur adorationis nomen adhuc strictius sumptum non solum pro illo actu reuerentiæ, qui ex se non habet aliam honestatē priorem honestatē cultus religionis & adorationis: nam hoc modo etiam sacrificium est quædam adoratio, & in Scriptura ita sepe appellatur, vt alibi laicius tradit: sed sumit pro adoratione illa, quæ tantum fit aliqua actione hominis, quæ nec circa materiā exteriorē versatur, sed circa ipsamēt hominis mēbra, vel potentias, nec ex se habet aliam priorem honestatē. Actus enim, qui habet aliam propriam speciem virtutis, quantum per extrinsecam relationem & imperium ad munus adorationis assumatur, non amittit propriam speciem virtutis à qua simpliciter denominatur, licet vt subest imperio religionis vera sit adoratio.

Ad secundam confirmationem, quæ sumebatur ex vitio contrario adorationi, absolute loquendo falsum est, quod in illa assumitur, in solo actu interiori non posse consummari malitiam adorationi Deo debitā contrariam: nam, sicut non repugnat interiori actui fidei coniungi honestatem adorationis, ita non repugnat interiori actui infidelitatis vel hæresis coniungi malitiam sacrilegij, & sic de alijs, si eadem proportio obseruetur, nimirum, quod ille actus ex tali intentione vel imperio fiat, quod ad malitiam illam comunicandam sufficiat. Actus enim hæresis, verbi gratia, vel odij Dei, ex se habet propriam malitiam inseparabilem, quacunque intentione vel animo fiat: potest verò superbiæ, iræ, aut alterius similis vicii malitiam participare, si ex eius imperio & relatione fiat. Sic ergo in actu hæresis potest reperiri malitia contraria honestæ adorationi, si quis talem actum exerceat intentione colendi Deum, aut intentione tribuendi alteri, quā Deo, honorem soli Deo debitum; vt si quis existimet ad excellentiam Dei pertinere, vt vna tantum in eo sit persona, & eam fidem exerceat, & secum recogitet, animo exaltandi intra se diuinam excellentiam, erit non solum hæreticus, sed etiam sacrilegus. Rursus, si quis credat esse alium omnipotentem præter vnum Deum, seu primum autorem alicuius beneficii, & ea ratione illi interius gratias agat, vel supplex deprecetur vt omnipotentem vel supremum autorem, peccabit interius, non solum contra fidem, sed etiam contra honorem Deo debitum, quod peccatum, licet ab infidelitate ducat originem, diuersum tamen ab illa est. Idem reperiri potest in odio Dei: nam, si quis illud exerceat, animo inferendi Deo iniuriam, seu priuandi illum honorei debito, in illo actu præter malitiam odij est malitia sacrilegij interius consummati, & sic possunt in alijs exempla adhiberi, & interdum etiam potest intelligi hæc malitia quasi per defectum, vt si quis nolit firmum & certum assensum rebus fidei adhibere, sed solum formidolosum ac dubium, & illum actum velit exhibere vt sufficientem notam honoris Deo debiti, erit non solum hæreticus, sed etiam sacrilegus: quia Deum facit creaturis æqualem. Ex quibus & similibus exemplis potest argumentum factum, in contrarium retorqueri, nam, si iniuria & inhonoratio diuina potest interius consummari, cur non etiam poterit adoratio? Dixi autem, necessarium esse, ad consummandam interius hanc malitiam, vt intentio cultus intercedat, quia media tali intentione comunicanda est malitia, eo quod opposita bonitas non sit intrinseca actui, sed ex imperio, & relatione extrinseca proueniens: tunc enim malitia opposita, cum non in sola omissione, sed in commissione consistat,

confistat, non potest, nisi per contrarium imperium A seu intentionem, communicari, quod non solum a-
ctibus internis, sed etiam externis commune est. Si
enim exercere actum externum humilitatis, per se
non habet honestatem religionis, potest tamen il-
lam habere, si ex peculiari intentione & imperio fiat.
Vnde e contrario exercere externum actum super-
biam in propriam exaltationem per se non habet ma-
litiā sacrilegij adorationi Dei contrariam, si ta-
men fieret intentione vsurpandi sibi diuinum ho-
norem, haberet illam, & ratio generalis est, quia
contraria bonitas non est debita illi actui secundū
se, sed tantum ut tali imperio vel intentioni subest.

SECTION III.

Quotuplex sit adoratio.

P Ræter communem, & generalem rationem ad-
orationis à nobis explicatam, oportet ut ea, quæ
de Deo, & hominibus dicenda sunt, intelligi possint
nonnullas adorationis partitiones præmittere, &
tam singularum vocum communioem vsu, & si-
gnificationem, quàm proprias singularum rerum
rationes diligenter exponere. Et imprimis omitto
diuisionem adorationis in fictam, & veram, quia
hæc omnia iam à nobis explicata sunt, & nunc de
verâ adoratione agim⁹, ficta enim neque adorationis
nomen meretur. Omitto etiam diuisionem in
honestam, & superstitiosam adorationem, quia de
honestâ tractamus, quæ explicata constabit, quæ
nam superstitiosa sit, & præter obiecti dignitatem.

Adoratio
in diuisio
in internam
& externam

Primo, ergo diuidi solet adoratio in internam, &
externam. In qua diuisione distingui potest actus
voluntatis volentis cultum ab ipso cultu, qui per il-
lum exhibetur, ita ut ille dicatur interior adoratio,
hic exterior: in quo sensu adoratio exterior dicitur
non solum, quæ sit per membra corporis, & sensi-
bus obiecti potest, sed etiam quilibet actus interior
etiam si sit intellectus, vel ipsius voluntatis, quate-
nus sub prædictum actum voluntatis cadit, & ab il-
lo imperatur: cultus enim & adoratio non solum
externis, sed etiam internis actibus exhiberi potest,
vnde statim dicam: vnde non est hic proprius, & vlti-
mus sensus huius diuisionis, quia non voluntas co-
lendi, sed ipse cultus adoratio vocatur. Et hæc di-
stinguitur in internam, & externam externus cul-
tus dicitur qui per signa externa, & sensibilia fit, cu-
ius varias partes enumerat Aristot. 1. Rhetoric. capi-
te 5. Honoris, inquit, partes sunt, facta, memorationes, de-
cantationes carminum, ius solute orationis ad laudem re-
citationis, promissa, delubra, vel primi consensu, sepulchra, i-
magines, publici ritus, ad hæc etiam barbara, ut inclinari,
loco cedere, munera quoque, &c. quæ omnia solum ma-
terialiter differre possunt, si eiusdem excellentiæ te-
stimonia existant, & ad eam significandam referan-
tur. Interioris autem cultus Aristoteles non memi-
nit, quia de cultu, & honore, qui inter homines ex-
hibetur, sermonem facit, non enim possunt homi-
nes se mutuo colere, nisi externo cultu, quia non in-
tuentur cor, nec cognoscunt internos actus, nisi per
exteriora signa: vnde cum adoratio sit quædam te-
stificatio, & recognitio excellentiæ alteri manifesta
ta, non potest ab homine exhiberi homini nisi per
exteriore actus. Interior igitur cultus dicitur, qui
per interiores actus mentis, scilicet intellectus, & vo-
luntatis exhibetur, qui maximè ad Deum refertur,
qui summus spiritus est, & interiores actus mentis
videt: extendi autem etiam potest ad creatos spiri-
tus beatus, quatenus interiores actus ad illos rela-
tos cognoscere possunt, ut infra declarabitur. Et
hoc modo dixit Augustinus in Enchirid. capite ter-
tio, & sexto, & libro 12. de Trinitate, capite 14. Chri-
stianam religionem maxime colere Deum Fide, Spe, &
Charitate, quod dupliciter potest intelligi, primo,

Asi.

August.

quia ex Fide, Spe, & Charitate mouetur homo ad
colendum Deum vero religionis cultu, ut D. Tho. B. Tho.
exposuit 2. 2. quaestio. 81. articulo 5. ad primum: vel e
contrario, quia ipsa virtus religionis ordinat, & re-
fert actus illarum virtutum, ut per illos Deum co-
lat, vnde D. Tho. exposuit in 3. distinct. 9. quaest.
1. articulo 1. quaestio. 3. ad primum. Quamquam
enim religio sit specialis virtus, quia speciale habet
obiectum (ut supra explicatum est) vnde tamen a-
ctibus aliarum virtutum, ut per illos sibi diuinum Deo
exhibeat, & hoc modo potest etiam vti actibus Fi-
dei, Spei, & Charitatis, quia licet perfectiores sint,
hoc tamen non obstat quominus possint ad finem
religionis ordinari. Hi ergo actus propriè pertinent
ad cultum internum, & ab eundem etiam spectare
potest interior reuerentia, seu timor (ut supra dice-
bam) de refectione peccati, mentalis oratio, & similes
actus, si ex voluntate colendi Deum proficiantur. D. Tho.
Legatur de hac distinctione D. Tho. 2. 2. q. 84. a. 2. &
B. q. 103. a. 1.

Quæritur autem hic solet, quænam istarum adora-
tionum sit propria adoratio, an interior, vel exteri-
or? In quo breuiter dicendum est, si comparemus
adorationes tam internam, quàm externam, poste-
riori modo sumptas ad ipsam voluntatem adorandi
neutram earum habere veram rationem adoratio-
nis, nisi prout subest tali voluntati procedit extra
iudicio, & existimatione rei, qualis per adoratio-
nem indicatur. Quia si omnino deesset voluntas,
non solum non haberet rationem adorationis, sed
neq. actionis humanæ: si autem deesset veritas, seu
conformitas cum existimatione rei, non esset vera
adoratio, sed fictio adorationis, & irritio, ut dictum
est: vnde, ut licet adoratio honesta, de qua nunc agi-
mus, oportet ut ex voluntate honesta procedat. At
verò e contrario, sola voluntas adorandi, si in nul-
lum actum adorationis prodeat, potest dici interna
adoratio, vel magis propriè, adorationis propo-
situm, sicut sola voluntas occidendi potest dici ho-
micidium internum, non tamen simpliciter homi-
cidium, quia hæc vox externum actum humanum
significat. Comparando autem adorationes, inter-
nam & externam posteriori modo explicatas inter
se, quatenus vnaquæque earum coniuncta est cum
suo actu voluntatis, sic vtraque est adoratio, & per-
fecta in sua specie, licet vna possit esse alia perfectior
sicut oratio vocalis, & mentalis in ratione oratio-
nis comparari possunt.

Secundo diuidi solet adoratio ex parte obiecti,
& excellentiæ rei adoratæ, in latram, & duliam, &
hyperduliam. In qua diuisione, primum explican-
da est nomen ratio, & impositio, latra enim
Græce, idem est, quod Latine, reueretur, aut colo,
dulia, vero, idem est quod seruio, vnde hæc duo ver-
ba apud Græcos frequenter pro eodem accipiun-
tur, ut tam Deo, quàm creaturis communia sint.
Quo fit, ut tam in Græca, quàm in Latina lingua (&
idem est de Hebræa) nullum sit nomen, quod ex
propria, & primæua significatione sua, singularem
Dei cultum, aut honorem creaturis debitum spe-
cialiter significet: nisi fortasse componendo vocem
ex ipso nomine Dei, ut est in Græco vox θεοσεβία, cui
nulla est similis Latina. Nomina enim adoratio,
cultus, seruinitus, & similia eis communia sunt, quam-
uis interdum, quasi per antonomasiam ad signifi-
candum singularem Dei cultum vsurpentur, ut in
sequenti bus frequenter videbimus explicando va-
rias locutiones Patrum, quæ ex hac nominum am-
biguitate ortæ sunt. Quod certe est valde confide-
randum, & memoriz mandandum. Ad hanc ergo
ambiguitatem tollendam schola Theologorum
communia nomina ad significandas adorationis
species accommodauit, & latram appellauit singu-
larem, & excellentem adorationem, quæ Deo pro-
pter summam eius excellentiam debetur. Cuius
ascom.

Dispositio
creaturarum
in latram,
duliam, &
hyperduliam